DE RATIONE
QUA MENS HOMINIS SCIENTIAM
SIBI COMPARAT
THESES

QUAS SUB AUSPICIIS

ILLUSTRISS. AC REVERENDISS. PRAESULIS

MARCI ZAGURI

EPISCOPI VICENTINI

DUCIS MARCHIONIS ET COMITIS ETC.

PUBLICE PROPUGNANDAS EXPONIT

FRANCISCUS VILLARDI

SEMINARII VICENTINI ALUMNUS

PRAECEPTORE ET ADJUTORE

PROSDOCIMO PICCOLI

METAPHYSICAE IN EODEM SEMINARIO LECTORE.

DATA CUIQUE POST TERTIUM ARGUMENTANDI
COPIA MORE ACADEMICO

VICENTIAE
TYPOGRAPHIA PARONI
1804

Invenies primis ab sensibus esse creatam
Notitiam veri.

Lucret. lib. IV. v. 480.

DE RATIONE QUA MENS HOMINIS SCIENTIAM SIBI COMPARAT

Th. I.

Jam olim, ut etiam nunc a quibusdam, dubitatum fuit, num mens hominis ea esset natura, ut ad rerum scientiam vel quantulamcumque posset pervenire. Illud praesertim, ut opinor, philosophos huc impulit, quod, dissentientibus semper, et inter se repugnantibus sectarum opinionibus, et principiis, non viderent, ubi tuto consisterent. At id non recte. Dissentientes enim philosophorum sententiae, mentem hominis certis finibus circumscriptam esse, et aliquando in veritatis cognitione deficere, non autem vi sua ad cujuscumque veritatis notitiam acquirendam penitus destitui, philosopho persuadent.

Th. II.

Quaecumque enim sint mentis vires, unusquisque, qui se serio introspiciat, penitus intelligit, se sentire.

Th. III.

Verum cum saepe, ut unicuique experientia testatur, eadem una ipsa mens sentiat, se affici duobus modis, aut etiam pluribus, et quidem dissimilibus, deprehendit, se non esse hujusmodi modos, seu sensationes. Aliter enim eadem ipsa una a seipsa identidem esset dissimilis.

Th. IV.

Jure igitur mens infert, se aliquid esse, quod modos, seu sensationes subeat. Hanc suimetipsius cognitionem quemque habere posse defendimus.

Th. V.

Mens porro in ipsas suas sensationes aciem intendens, penitus cognoscit, se esse ejusmodi, ut dum sentit, non possit non sentire.

Th. VI.

Ex hac perspicua, et singulari mentis perceptione tritum illud proficiscitur, et dimanat: *fieri non potest, ut idem simul sit, et non sit*. Cum enim mens semper in singulis sensationibus id sit experta, idem in universum verissimum esse dubitare nullo modo potest. Hac una via mentem humanam ad hujusce veritatis notitiam pervenire illi ipsi fateri debent, qui eamdem divinitus in mente hominum impressam atque obsignatam contendunt.

Th. VII.

Observat etiam mens, se quandoque similibus prorsus sensationibus affici. Hinc jure sibi eam legem statuit judicandi, eadem omnino ea esse, in quibus nullum discrimen percipit. Hoc ex fonte profectam censemus cognitionem harum veritatum: *Idem est idem; Totum est aequale suis partibus simul sumptis, et caeterarum hujusmodi.*

Th. VIII.

Haec omnia cum nos ita a mente

cognosci propugnemus, merito defendimus, hujusmodi veritates, quas Axiomata, et Principia nuncupant metaphysici, non esse fontes nostrarum omnium cognitionum, ut nonnulli defendunt.

Th. IX.

Similitudo quidem, aut dissimilitudo, quae est inter sensationes mentis, nihil aliud est, quam similitudo aut dissimilitudo, quae est inter perceptiones, et affectiones quascumque mentis ipsius. Nam sensationes, perceptiones, et affectiones unum, et idem sunt, quatenus mentem afficiunt. Igitur nemini dubium esse potest, quin et perceptiones, et affectiones suas mens possit internoscere. Haec cognitio ipsi tam certa est, et vera, quam certum est, et verum, se nonnunquam dolere, nonnunquam in voluptate esse. Quis vero serio istuc neget? Pyrrhonii quique hac super re nobiscum sentiunt.

Th. X.

Quod si quis acutissimus evidentiam

hac quoque in re quaerat, respondemus, in eo hanc esse positam, ut mens ipsa sensu suo hauriat similitudinem, aut dissimilitudinem affectionum suarum. Hoc enim pacto, et nullo prorsus alio mens novit, quae intus eveniunt. Id si illi demas, caeca omnino fit. Qui se ipsum introspexit, satius novit, quid sit evidentia.

Th. XI.

Quare mens quaecumque vel perspicacissima, quae scrupulosius suas cognitiones rimetur, id comperiet, se demum affectiones suas tantum inter se comparare posse. Res enim, si quae extra sunt, in mentem ipsam nequaquam ingrediuntur, nec mens in ipsas descendit.

Th. XII.

Quis porro neget, mentem hominis, cui facultas inest affectiones suas vocibus, aliisve indiciis signandi, propositiones constituere posse, quibus indicetur, ac statuatur, quid intersit inter affectiones easdem, atque idcirco veritas certissima?

Th. XIII.

Quo fit, ut contendamus, mentem posse etiam in jdealistarum sententia ex pluribus sensationibus notiones componere, easque compositas inter se comparare, de iisdemque judicare tam certe, tamque evidenter, quam certum èsse judicat, se aliquid sensisse.

Th. XIV.

Neque obstat sententiarum varietas super notionum nostrarum origine. Sive enim cum Democriticis, sive cum Cartesio, sive cum Leibnitio, sive cum Malebranchio, sive cum Lokio sentias, id semper fixum, ratumque erit, mentem, quoad seipsam spectat, eo, quem exposuimus, modo veritatem comprehendere. Sensu enim suo rationem, quae est inter affectiones suas, ipsa haurit. Hac una via aliquid noscere nobis datum est.

Th. XV.

Quamvis nos fidenter asseramus, mentem hominis tuto posse percipe-

re, quaenam ratio sit inter affectiones suas, tamen iidem fatemur, non perfacile omnino esse semper investigare, et penitus noscere quidquid in nobis contingat. Atqui hoc unum ad veritatem apprime necessarium putamus.

Th. XVI.

Neque ignoramus, quamplurimas affectiones mentis esse ejusmodi, ut quantae, et quae sint, nos metiri nequaquam possimus. Aliquando enim minores, quam revera sint, aliquando vero plus aequo auctas exprimimus. Hinc ignorantiam, et errores repetimus.

Th. XVII.

Defendimus etiam neminem certo scire, utrum omnes affectiones suae sint plane eaedem cum affectionibus aliorum hominum, aut ab eisdem differant. Unusquisque enim in se ipso tantum sentit, non vero in aliis.

Th. XVIII.

At id tantum evincit, eamdem rem

a diversis hominibus diverso fortasse modo percipi.

Th. XIX.

Cogitatio eadem, qua comprehendimus, mentem nostram se ipsam cognoscere tantum in sensationibus suis, omnesque cognitiones suas ex earumdem similitudine, aut dissimilitudine haurire, ostendit etiam, easdem sensationes in mentis ipsius potestate minime esse. Mens enim sentit, eas se non posse fugere, dum afficitur, nec effingere, dum iis caret. Ergo nec pro lubitu in ea nascuntur, nec pro lubitu removentur. Quare statuimus mentem, quod spectat sensationes suas, ab aliis rebus, quae extra ipsam sunt positae, dependere.

Th. XX.

Eadem ipsa mens experitur, suas se vires ita intendere non posse, ut sensationes, quas revocat memoria, acres adeo, et vividas sibi repraesentet, ut iis aequiparentur, quas per sensus judicat excitari. Hinc nec ma-

jorem; minoremve suarum sensationum vim in ejus potestate esse concludimus.

Th. XXI.

Observat tamen sibi posse quaerere res, aut phaenomena, quorum praesentia magna vis addatur sensationibus suis. Igitur concludit, ab iisdem suas sensationes acriores, et vividiores evadere. At cum fieri nequeat, ut hae res, aut haec phaenomena in causa sint, cur sensationes ita intendantur, quin eodem tempore in causa sint etiam, cur excitentur, haec phaenomena, quae corporum nomine insignimus, causas veras nostrarum sensationum esse statuimus.

Th. XXII.

Jure igitur contra Idealistas defendimus, mentem hominis recte arguere praesentiam hujusmodi causarum suarum sensationum, scilicet corporum.

Th. XXIII.

At quid sunt corpora? Quod men-

tis scientiam attinet, causae tantum sunt suarum sensationum. Quin si quis a nobis quaerat, quid sint hae causae, fatemur, nos nescire. Etenim si mens, quae continenter agit, suas actiones tantum novit, quia sunt suae ipsae sensationes, causas vero actionum suarum, seu facultates suas, quae in ipsa sunt, ignorat, eo magis causas illas, quae extra ipsam agunt, quarumque effectus tantum in sensationibus suis contemplatur, ignorabit.

Th. XXIV.

Haec corpora, quae sensus nostros multis modis pellunt, omnes sensationes extensionis, soliditatis, ponderis, figurae, motus, colorum etc. nobis suppeditant. Cavendum autem est, ne quid aliud in hisce spectemus praeter sensationes nostras. Quod si vero has ad corpora referimus, eorumdem qualitates possumus appellare, causas scilicet ignotas nostrarum sensationum. Hae tamen qualitates universam physicorum scientiam constituunt, cujus

vastitatem vel is optime novit, qui primoribus labris eam attigerit.

Th. XXV.

Mens, quae novit (th. 19.), se suorum existendi modorum, seu sensationum sibi causam non esse, novit aeque evidenter, se non potuisse esse causam suimet ipsius. Videt enim apertissime, illud per se ipsum sibi existentiam impertire nullo modo potuisse, quod ab alio dependet quoad modum existendi. Existentiae enim idea nihil aliud continet, quam rem aliquam eo tali modo esse; qui modus si in alterius potestate fuerit, necessario sequitur, ut eadem illa res impediri potuerit, quominus existeret.

Th. XXVI.

Percipit etiam ex multiplicibus naturae effectibus, quos sentit, corpora in iisdem producendis se invicem juvari, et alia ex aliis dependere omnia. Jure igitur statuit totam hanc naturam secum ipsa esse congeriem rerum, et causarum invicem dependentium.

Th. XXVII.

At qui fieri potest, ut haec omnia invicem dependentia ab aliquo tandem principio non sint? Itaque defendimus, mentem humanam ex hac rerum omnium a se ipsis invicem dependentia jure inferre alicujus primae causae existentiam. Haec prima causa illi Deus est.

Th. XXVIII.

Haec prima causa vim suam prodit in effectibus, quos passim unusquisque novit in sensationibus suis. Cum autem maxima percipiatur effectuum varietas pro finium obtinendorum varietate, eadem vis multiplex quodammodo jure censenda est. Hinc ea distingui consueverunt, quae Dei attributa a Theologis appellantur. Haec igitur varia attributa ex sensationibus, quas excitant varii effectus a prima tandem causa proficiscentes, nos tantum elicimus. Eodem prorsus modo caeterarum naturae virium facultates deducimus.

Th. XXIX.

Quare hic monemus, ne quis putet, se revera aliquid aliud percipere, praeter sensationes, quae ab effectibus a prima causa proficiscentibus in se ipso excitantur. Quemadmodum illi effectus a prima causa tandem sunt, ita sensationes nostrae ex iisdem effectibus in nobis oriuntur.

Th. XXX.

Mens nostra, quae percipit, hujus primae causae vi haec omnia esse, et fieri, admiratur etiam universa summo ordine, et consilio administrari. Voluntate igitur primae causae ita haec quaecumquae agi recte arguit, atque propterea nefas esse haec eadem perturbare.

Th. XXXI.

Hinc nimirum est, unde veluti e prono alveo fluit justi, et aequi scientia, jus naturale appellata. Voluntas nimirum Dei legis notionem suppeditat, actiones vero, quae vel ad ejus

nutum, vel contra ab hominibus fiunt, omnes notiones Ethices constituunt. Ut porro ex hisce notionibus caeterarum legum omnium, atque actionum notiones haurire possimus, manifestum est.

Th. XXXII.

Quamobrem si recte investigemus, quaenam tandem sit cognitio, quam nos rerum habere possumus, liquido constabit, eam nihil aliud esse, praeter cognitionem rationis illius, quam res inter se omnes invicem habere sensationes nostrae nobis palam faciunt.

Th. XXXIII.

Hisce itaque constitutis jure contra Pyrrhonios decernimus, falsum esse a mente humana quidquam sciri non posse.
